

Vd
1788



22.



QA. 49/24.

Vd
1788

VENATIO REGIA
SOLEMNIS
A
SERENISSIMO PŌTENTISSIMOQVE DOMINO
DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO
REGE POLONIAE

ET
ELECTORE SAXONIAE

SVPERIORIBVS ANNIS
IN SVDETIBVS PROPE MARIAEBERGAM
HABITA
IN SEMPITERNAM REI GESTAE MEMORIAM
METRICE ADVMBRATA

A
M. CHRISTIANO CLODIO

OLIM ANNAEMONTANI, IAM ZWICKAVIENSIS LYCEI RECT. ET BIBL. SOCIET.
LIPS. TEVTONICAE ET B. A. ET IENENSIS LATINAE
M. H.



ZWICKAVIAE
EX OFFICINA HOFFERIANA.

VI KATTO REGIA

SERENISSIMO POTENTISSIMO ET DOMINO

DOMINO

FRIDERICCO AUGUSTO

REGI POLONIAE


ELECTORI SAXONIAE

IN SCIENTIIS ET ARTIBUS

IN ELECTORATU ET REGNO SACISSIMO

LIBERAE UNIVERSITATIS

M. CHRISTIANO



WICKAVIAE

ET ORIGINALI HABILITATIONE





En age! Musa! viros, venabula, retia, Sylvas,
Cervorumque greges altis de montibus actos,
Plaustrorum strepitus, hominumque canumque boatus,
Spumates apros, lepores, vulpesque ruentes,
Pulforumque fugas, caedes et vulnera dicam.
Vidimus his oculis, quid enim vidisse pigebit?

Rem prius haud visam, raroque Poemate dictam,
Laudibus Aenae, magna dignamque Diana!
Quem virtus et fama vehit per sidera celsum,
Sarmatiae Princeps, veteri de stirpe Pfalti,
Perfidiae domitor, columen fidusque bonorum,
Tertius AVGVSTVS, fractis Gedanensibus vndis,
Eiectis Gallis, et iniquo Rege fugato,
Saxoniam repetens, curas ad retia vertit.
Omen inest rebus, regni, bellique tumultus,
Et quae plura trahunt diversas turbine mentes,
Russorum populo, lusumque, iocumque futuros.
Confluit ex omni terrarum parte colonus,
Curritur in montes altos, atque inuia lustra,
Qualia vix quondam vidit Cumaca Sibylla,

Caucaeus vertex, Atlas, Rhiphæaque tellus.
 It coelo clamorque virum, clangorque tubarum, —
 Permiso sclopi crepitu, catulique boatu.
 Vt, cum terrestri decernunt Marte phalanges,
 Omne nemus resonat, pugnae titubatque furore.
 Profilit ex antris perterrita bestia furnis,
 Nescia tam duri longo de tempore, fati.
 Iam, velut ex signis, caedis praesaga futurae,
 Transmittit cursu campos, atque agmina pernix,
 Puluerulenta fugâ glomerat, densatque suorum.
 Nodosi laquei, longo discrimine iuncti,
 Turbaque seruorum nostris contermina syluis,
 Noctes atque dies pecudes agitare parata,
 Ingentem fallit turbam captatque ferarum;
 Quae vaftris delusa strophis, obseptaque lino,
 Arguit errores, atque in contraria fertur.
Ecce! nouam pecoris peregrino more salutem!
 Grunnit aper frendens, vltulat vulpecula fallax,
 Et reboant tristes cerui, leporesque coaxant.
 Ingruit atra fames, defunt sitientibus vndae,
 O! qui mugitus pecoris, quae murmura capti!
 Dispiciunt latebras hesternæ luce relictas,
 Et notos fontes, consuetaque pabula ruris;
 Nulla patet toto fugiendi rimula campo.
 Iam pauidi, trepidi, laceri, miserique, vagique,
 Tristes euentus, et atrocia fata volutant.
 Asper ab occasu terras madefecerat imber,
 Iris et insignis vario splendore colorum,
 Nuncia nimbosæ, plusquam Cumæa, dei,
 Terris purpureum montanis iunxerat arcum;
Cum PATREM PATRIAE, regali sede relicta,
 Pluribus ascitis, venturum fama susurrat;
 Nempe per has terras trigesima pallet arista,
 Quae tam magnificas non vidit Principis umbras.

Aduen-

Aduentant coelo, quasi sic Deus ipse iuberet,
 Sedibus acciti, REX et REGINA, sereno,
 Illustri heroum stipatus vterque cohorte.
 Vix ea laetitia est volucrum, vix ista ferarum,
 Cum sol pallentes de coelo discentit umbras,
 Laetaque per campos nitidus spectacula pandit,
 Quam, quae cunctorum mentes, animosque remulsit,
 Cum saluum DOMINVM, saluam DOMINAMQVE viderent.
 Audisses hominum varios de Rege susurros;
 En! pater Ascanium depoplite sustulit altum,
 Et mater, natam geminis amplexa lacertis,
 Indice digitulo, spectes, mea filia! spectes!
 Hic Rex est, inquit, Reginaque proxima Regi,
 Hic dux Leucopetrae, Ducis illa est filia Princeps,
 Hic est Caesareus Legatus, Episcopus ille
 Lypsius, hic Ruffus, sequitur, quem Dania milit.
 Audisses fremitus, permistaque iubila vulgi,
 Vidisses pueri pendens ab arbore plausus,
 Vnus in AVGVSTVM vultus, fixusque IOSEPHAM,
 Caetera posthabuit patuli spectacula campi.
 Iunxerat Actaeon gracili tentoria tigno,
 Millibus apta viris, huc Rex et turba subintrat,
 Dispectisque locis, rebus cunctisque probatis,
 Discumbunt laeti, macerataque iuscula sumunt.
 Absumptis tandem dapibus, patinisque remotis,
 Horrida per sylvas capturae signa dabantur;
 Non aliter resonat, turrali buccina cantu
 Cum strepit, atque nemus subito ciet omne tumultu.
 Nos circumpositi, Latio velut amphitheatro,
 Ore triumphantes, plaustris haeremus in altis,
 Obseruaturi miserae spectacula caedis.
 Panditur aulaeum, prodit fera bestia claustris.
 Quis stupor attonitam, quam tetricus occupat artus
 Horror, vbi populos alta de sede frementes,

Tecta, viros, et iuncta procul velamina spectat!
Pertentat reditum, sed vela redire vetabant;
Nunc ubi caeca petit fugitiuo calce salutem,
Solvitur horrifona lethalis machina voce;
Quali vix tremuit nuper Quistellina tellus,
Cum fugeret timidus superatis Broglio castris,
Territus et miles violento Marte Sabaudus.
O! miseram miserae pecudis per iugera stragem!
Pars occisa cadit, pars faucia facta pererrat,
Pars inter cursus manante cruore fatiscit.
En! caper altiuolans sclopos modo fallere tentat,
Ecce! gradum reuocat, primaevaque lustrat astra.
Ille per immensos post se trahit ilia campos,
Hic rotat occiduum gyris, et concitat orbem,
Cernitur hinc alius, qui fracto crure vacillans,
Ossa simul laniata vibrat, cursumque requirit.
Vnus et e multis, aetate et corpore grandis,
Traiectus globulis, coeco feruentibus ictu,
Cum frustra tentat saltu transmittere velum,
Dente crepans, oculisque tremens, plenisque minarum
Vultibus, ad sylvas gemebunda voce remugit,
Lapsus et in terras, animam cum sanguine ponit.
Defuit haud alius, qui, cum premetur ab hoste,
Calce minax, alto sublatus in aëra saltu,
Verteret hostiles agitantis in occiput artus.
Caetera turba, vagi, spumant, titubantque, tremuntque,
Donec consimili rapiuntur frigore mortis.
Quae cum strata iacent, naturae iure soluto,
En! noua ceruorum, semoto tegmine, turba
Proruit, atque amplo spectans exempla theatro,
Horret, et immotis pedibus vestigia figit.
Bina per ambiguos ducebant compita calles,
Binaque versantem feriebant spicula turbam,
Quocunque aspiceres, et mors et fata vocabant;

Accele-

Accelerant gressus, nec enim datur ire retrorsum,
Ecce! nouam pecoris stragem, noua vulnera caesi!
Funera funeribus cumulata meantibus obstant.
Sic inter laefos, nulla ratione pericli
Inducta, Segnes, et strata cadauera fidunt,
Lassaque dispersis obuertunt tergora flammis.
Continuos fubeunt REX et REGINA labores,
Nec spatiosa quidem iaculantes area fallit,
Nec lenitas pecoris, varius nec saltibus error.
Mireris fortem Regis certamine dextram,
Qui cerui insano per castra furore ruentis,
Districto totum subito caput ense reuulsi.
Tristis erat facies capreae, quae saucia, pullos
Glandibus elafos, densata per agmina ducit,
Ereptura suos, licet haut euaderet ipsa.
Vidiffes alios, scelopi qui glandibus icti,
Suppetias matrum moribunda voce rogarent,
Dum tandem exanimis ipsa cum matre cadebant.
Denique nec defunt, qui, cum cecidere, resurgunt,
Surgentesque cadunt, parcarum lege sequestra.
Et quos lenta trahunt Libitinae tormina lapsu,
His venatorum ceruices pugio soluit.
Iam fere nongentae numero cecidere ferarum,
Quas longa serie venatica turba reponit:
Ecce! PATER PATRIAE, dura nec grandine laefus,
Nec fessus iaculis, spumantes prouocat apros.
Nos, qui continua ceruorum strage sopiti,
Aprorum caedes, animis linguisque precamur.
Nox operit terras, coenant, fumuntque quietem,
Iam redeunte die, reparatis viribus aucti,
Setigerum memores, redeunt ad castra Diana.
Inflatur cornu, soluuntur fune molossi,
Panduntur camerae, sed o! iracunda Diana!
Virgo potens nemorum! quorsum mihi victima vertit!

Heu!

No 1788 A

Heu! per mille vias aper omnis, et omnis apri spes,
 Velis disrumpis, hesterna nocte tetendit!
 Vertitur in capreas, quam fraus aprugna fefellit,
 Saevities hominum, disperfaque in agmina fylvae.
 Forte sub obscura confederat arbore ceruus,
 Ceruaque pullorum capreis stipata tenellis;
 Protinus hanc agitant rabidi, lacerantque molossi,
 Insequitur mistum variis animantibus agmen,
 Turba pusilla gregis, certissima praeda Dianae,
 Heu! mihi ridiculas vulpis, leporisque choreas!
 Illa dolo pellem defensat, et iste volatu,
 Nil valet aduersum, luduntur ab artibus artes,
 Nil leuitas crurum, plumbi vis corripit omnes;
 Ista fuit tandem sylueltris claufula pugnae.
 Iam sol occiduus fumantes vergit in agros,
 Iam REX AVGVSTVS, iam Clementissima **CONIVX**
 Ambo soli soles patrii, spectacula claudunt.
 Vt, cum praecipites Phoebus iam vespere partes
 Egit, et obscuris tellus immergitur vndis,
 Vomere subuerso, casulam frequentat arator:
 Sic spectatores, patriae iam Sole remoto,
 Palantes agris vicina mapalia quaerunt.
 Ipse ego, qui rediens disperfa cadauera vidi,
 Pharfaliae similem videor mihi cernere stragem;
 Adde, quid interfit: Miles prostratus humatur,
 His dat ventriculus Procerum regale sepulchrum.



me



ULB Halle
007 432 895


3





2A. 49/24.

Vd
1788



Farbkarte #13

B.I.G.



ATIO REGIA
 SOLEMNIS
 A
 OTENTISSIMOQVE DOMINO
OMINO
CO AVGVSTO
 E POLONIAE
 ET
 DRE SAXONIAE
 SVPERIORIBVS ANNIS
 BVS PROPE MARIAEBERGAM
 HABITA
 AM REI GESTAE MEMORIAM
 TRICE ADVMBRATA
 A
STIANO CLODIO
 M ZWICKAVIENSIS LYCEI RECT. ET BIBL. SOCIET.
 CAE ET B. A. ET IENENSIS LATINAE
 M. H.



WICKAVIAE
 FICINA HOEFERIANA.

